



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XV. Arma quæ curanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

& Ziph, sed & Aduram, & Lachis & Azeca: Saraa quoque & Aialon & Hebroa, quae erant in Iuda, & Benjamin ciuitates munitissimas. Cumque clausisset eas muris, posuit in eis principes, ciborumque horrea, id est, olei & vini. Sed & in singulis vrribus fecit armamentaria scutorum & hastarum: formauitque eas summa diligentia, & imperauit super Iudam & Benjamin.

Noxae diligentiae causa erat, quia iam nouus hostis, & quidem potentior ortus erat, vrbesque quae tempore Salomonis in medietate regni erant, factae erant abscellu decem tribuum limitaneae, reliqua etiam armamentaria decem tribuum cesserant Ieroboamo. Apud Isaiam 22. 8. etiam mentio est armamentarij domus saltus.

CAPUT XV.

Arma quae curanda.

§. 1. FACTVRVS bellum princeps, praeparare haec praecipue debet: Foedera, comiteatus, arma, munitiones, pecuniam, militem. De singulis dicendum non est hoc capite, de foederibus, comiteatu, munitionibus, pecunia, dictum lib. 8. Pacis enim opera sunt magis, quam belli.

§. 2. Plerique qui de bello scripserunt, de armis & viris, seu terra, seu mari bellaturis accuratè omnia tractarunt. Hoc tamen modo, vt alij vetera, alij noua, pauci causas & Consilia veterum & nouorum ostenderint. Mihi, quae de nouis & veteribus intellexi, breuiter proponere est animus.

§. 3. Arma sunt, quaecunque necessitas suadet. Ferrum, oleum, lignum & alia. Arma sunt militis quasi membra, nam beluis dedit naturalia, quia prudentiam negauit, homini dat exera, quibus vtatur, addita ratione.

φύσις κέλευσε ταύροις
όπλας δ' έδωκεν άνθρωποις
λέγουσι χείρσι όδόντων
τοίς δ' όρμασιν σίδηρον.

Natura cornua tauris, ungulas dedit equis, hiatum dentium Leoni, viris autem ferrum, quo vincit tauros, domat equos, leones venatur, & demum quod difficillimum est, vincit & aliud ferrum. Magna itaque copia armorum paranda est in pace, quia facile habentur. Cum necessitas vrget, etiam omnia accipienda, res campanarum conflari potest, vt finito bello reddatur.

§. 4. Arma defensiva, instrumenta omnia bellorum, quibus ab hoste defendimur, vel hostem offendimus. Ea sunt itaque duplicia, vel enim ipsi nos tutamur, vt est scutum, galea, ocreae; vel hostem laedimus, vt gladius, hasta, sclopus: Haec aliter quoque diuiduntur; vel enim corpori circumdantur, manibusque singulorum tractantur, vel machinis aguntur, & violentius agunt, tormenta maiora. Inter haec media pono equos, elephantos, camelos, canes, porcos, serpentes, quibus velut armis nonnulli interdum vsi, sunt vero arma animata, aut semiarma, & semi-milites.

§. 5. Arma defensiva, seu tegumenta priora sunt offensiuus, Ducis enim laudati est, suos primum in tuto collocare, deinde hosti nocere, sic enim mutuis plagis conciduntur, nullius est victoria. Fortior itaque est, qui munitior: Qui sibi bene prouidit, vt incus sonitus nauarchus, tempestates spernit. Miles bene tectus fidenter inuadit hostem & arte intrepide vritur: ars autem absorbet omnes rerum difficultates: vt militari prouerbio iactant.

§. 6. Veterum tegmen capitis fuit galea. Ea fuit velutim ex pelle lupina, aliave. Polybius: προσεπικροσμεται δε ή λιτώ περικεφαλαίω, πότε λυκίαν, ή τι των τοιούτων επιδιδείναι, σκέπης άμα, ή σμηλευ χείριν, ήνα τοίς κ' μέγ' ή γρηβοί περιενδύνοντες, έξρομένους, ή μ'η διάδηλοι γινώσκται. Adornatur, (ita vertit Liplius) praeterea & simplici tegmine capitis, atque est, cum lupinam, aut tale aliquid imponit, tutela simul, & signi causa, vt ductoribus ordinum, cum strenue, vel aliter pugnauerint, possint innotescere.

De galeae materia optime Liplius. Non ex aere, aut ferro, sed lana, tomento, corio; cassis de metallo fuit. Galea à γάλην fele aut mustella dicta, à feris sumebant, inde γάλην, γάλην, ταυρίνη, αι γάλην, mustellina, canina, taurina, caprina. apud Homerum & Virgilium est etiam Leonina, Aeneid. 7. Tegmen torquens immane Leonis, Liplius in Traiani columna adnotat hoc omnes esse habitu, cum pelle leonis, quae caput, humeros, tergumque tergat. Lupina est apud Propertium in eleganti carmine,

Et galea his futa compta lupina iubá.

Apud Statium Vrsina est;

Ille Lycania victu caput asperat Vrsa.

Alijs placuit Vulpina. Thraces, Macedonesque similes habuere. Hoc vero est, de quo haeret auditor Liplij, cum tutelae & signi causa gestarint, an nudo capiti, an alteri galeae imposuerint? Existimat Liplius nudo capiti velites imposuisse, eos enim non tam caute & custodire armatos: Ego magis etiam dubito: quamuis Leonina & Vrsina sint tutelae, non tamen video quomodo mustellinae, vel caprinae, vel etiam vulpinae pelliculae sagittas aut gladios morentur: multo magis resistunt ex tomento galeri nostrates, praecipue crassius illi, quos Brunuicenses appellare consueverunt.

Itaque illud quod λιτών vocat Polybius, vilem, nec operose factam galeam significare, non autem simplicem fuisse pelliculam, sed lino lanave suffultam, ad frangendos actus, forte & duplicatae pelles fuerunt. Agrestium arma describit Statius.

Tela rudescunt, galea vacua ora Leonum.

Ipse Liplius galeas è corio, vel simili materia ait esse, ferro aliquo per lineas, aut circulos inducto, corium igitur aut duplicatum, aut alia materia suffultum fuit. Imo magis probo pelles fuisse impositas pileis, vel ex duplicatis, aut saepius dentatis pellibus fuisse. Nam Vegetius libro primo, capite vigesimo. Pileos vocat. Vsq. ad praesentem prope aetatem consuetudo permansit, vt omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant, ex pellibus vterentur: quod propterea seruabatur, ne grauis galea videretur in praelio homini, qui gestabat aliquid semper in capite. Graues ergo pilei aliqua proportionem ad cassidem.

Porro horribiles formas galeis impositas discimus ex Virgilio apud quem Turnus libr. 7. describitur

Ipse inter primos praestanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est.
Cui triplici crinita iuba galea alta Chimeram
Sustinet Aethnaos efflantem faucibus ignes.

Cimbri quoque eo habitu fuere: Plutarch. in Mario. Galeas equitum Cimbrorum & plumis & horrentium animalium formis insignes fuisse ait Diodorus Siculus libro secundo. Reges Aegyptiorum leonum, taurorum, draconum capita suo capite velut principatus insignia gestasse, quod Christianis temporibus sensim desijt, & contra hostem notum

Arma
tutè pa-
randa.

Arma de-
fensiuu of-
fensiuu.

Galea capi-
tu tegmen.

Non sola
pelle caput
ornati erant.

Arma
lim
fug
mus,
nullius
menci.

Magis
parma.

His terribilioris uti velle puerile est. Hæc, ut dicam, ad insignia familiarum venerunt: Hinc enim nobilium varietas, dum scutum & galeam exhibent.

Cassidæ area. §. 7. Cassis area aut ferrea, interdum argentea, & mistis metallis fuit. Camillus fabricatus est galeas plerasque totas ferreas, & læves in ambitu, ut gladij aut laberentur in ijs, aut frangerentur.

Ad latera erant bucculae, quæ buccas, seu genas contegerent. Servius cum diuitibus imperat areas galeas, satis ostenditur munimentorum areorum prius, quam ferreorum usum fuisse.

§. 8. Cristæ ornamentis, & terriori erant, Polybius ait: super hæc omnia adornantur apice plumæ, pennisque punicis, aut nigris, rectis tribus, ad cubiti longitudinem, quæ cum in summo vertice alijs armis addiderint, vir duplo maior apparet, & pulchra ea species fit, hostique formidulosa. Propter hæc vertit Lipsius apicem, non enim de corona agit, quamvis aliquam coronæ similitudinem habeat.

Centurionis Galea. Summo autem galeæ infixus erat apex ille, seu plumæ corona, Græcis & λῆφος & φάλλος dictus, quin & rubi erant, quibus immixtae cristæ. Centuriones transfusas & argentatas cristas habuerunt, ut facilius agnoscerentur, aliorum erectæ erant, & cum crebris pugnis fangiatae pendulæ, & diffusæ.

Punicæ dignorum erant. Turni cristæ rubentes erant; Hannibalis niuicæ, deinde vti etiam pauonum picturatis pennis.

Tres autem cristæ, plerumque erant, triplici enim cristata iuba galea alta erat. Mezentius apud Virgilium cristæ est hirsutus equina. Hinc in galeis & insignibus nobilium aut cristæ, aut alia signa, ut cornua, trabes, certi colores, nam alia quæ pro pennis gestasse constat ex historia Pyrrhi, qui agnitus est τὸ πῦρ λῶσθαι διὰ πρῶτον, καὶ τοῖς τετραγώνοις κέρας, cristæ eximia, & hircinis cornibus. Verum quod ad hæc omnia, atque adeo arma pertinet, variè mutarunt, & mutanda omnia fuerunt propter hostes, qui alijs atque alijs armis, arma vetera faciunt inutilia, & ad noua cogunt.

§. 9. Cassis igitur area fuit, Polybius vocat σκευὴν ἀσπίδος χαλκῆν. Aere caput tecti, surgunt super agmina cristis. Camillus fecit areas, & ferreas, læves in ambitu contra immanes Gallorum gladios. Loro sub mento ligabant, facies nuda erat: nunc faciem multi tegunt, ut solum vulnere pateant, qua oculis prospiciunt. Tales in Persis Marcellinus notauit. Et. Reg. 17. 38. & 5. & 1. Macab. 6. 35. galeis arcis vtuntur. Nostri temperant nouo modo ferrum, ut glandes repellat.

Parmæ olim sufficiens, nunc nullius momenti. §. 10. Alterum tegmen corporis erat parma. ἡ δὲ πᾶρμα, inquit Polybius, καὶ δυνάμει καὶ τῇ κατασκευῇ, καὶ μέγεθος ἀσπίδος, καὶ πρὸς ἀσφάλειαν. Parma & firmitatem habet à structura, & magnitudinem securitati sufficientem. Hæc Velitum fuit.

Firmitas parmæ non à materiâ, non enim ex metallo, sed è corio, vel corio & ligno, idque vel solido, vel texto vimine, vel asserculis commissis, deuinctisque.

Forma parmæ rotunda. Περὶ τῆς: ita Polybius & Nonius. Iphicrates teste Amylio probò, pro parma peltas dedit, vnde Peltastæ sunt nominati.

Magnitudo parma. Magnitudinem parmæ scribit Polybius τεῖπεδον ἔχει διαμέτρον, nouem igitur in circuitu pedes, inquit Lipsius, habet; at non est breuis illa parmula, & paruus Clypeus. Dubitat ille an nomine diametri intelligatur ipsa περιμέτρος. Tum sane exigua esset parmula, vera enim diameter vnus pedis esset. Marius parmulas sustulit, & substituit Bruttianâs, hoc est scuta quibus Brutij pugnare soliti. Sed fieri non potest, ut vnus pedis fuerint; quid enim

hoc ad tutelam, seu ἀσφάλειαν, ut recte sibi obijcit. Stultum autem videtur, cum manum sinistram parma occuparet, tam paruam fecisse, ut pugnantem non defenderet, & tamen impediret. Parmam esse, quæ Græcis pelta dicitur, ait Plinius, eamque cetræ etiam appellant, sed ut breue vtrumque scutum erat, ita forma diuersa, semiplenæ lunæ speciem pelta habebat. Virgilius libro primo.

Ducit amazonidum lunatis agmina peltis.

§. 11. Parmæ affine est scutum & clypeus.

Scutum Romanorum.

Scuti magnitudo duorum pedum, & semis in latitudine, in longitudine quatuor, Maius vero palmum amplius habet.

Materia scuti ait Polybius ἐν διπλῇ συνιδόμῳ, ex duplici contabulatione. Itaque constat duas tabulas taurino glutine, cum linteo compactas. Sed addit Lipsius è minutis tabellis contextum; nam Varro à lectura deducit, scutum dictum, vel ut lecatum, quod minute confectum sit tabellis. & Ammianus de Juliano. Cum apud Parisos adhuc Cæsar Iulianus scutum quatiens in campo exercebatur, axiculis, quibus orbis erat compactus, in vanum excussus, ars æremanserat sola. Ego hic, ut fateor, hæreo, optaremque scutum verus ostendi. Nam operosa est illa ex axiculis confectio, nec firmitudini accommodata: itaque cum tantus scutorum esset usus, paratiora fuisse non dubito. Et primo quidem multo firmitus & contumacius erat aduersum ictus, si duæ tabulæ transuersim conglutinauerunt, quam si vna solum esset; ea enim secundum eam dimensionem, quâ fissilis est, facile transfigitur, at hic in diuersa tendunt lineæ fissiles, quod in vnâ recipitur tabellam, in altera tenetur, moramque patitur, asseri enim agglutinatus asser diuerso ductu linearum, eum vincit, continetque ne rimis hiare, aut findi possit.

Et scutum.

Deinde certum mihi est asserculos alios longitudinem, alios latitudinem æquare debuisse, non enim ex duobus tribus longitudine confici potuit, quod ea parte, quâ longitudo ligni absconditur, conglutinari non possint. Quomodo tabellis confectum sit, haud satis capio, nisi longiusculis inter se commissis, glutineque compactis, ex axiculo quasi vinculo addito, ex Ammiano discimus. Ligna huic rei vtilissima nominat Plinius 1. 16. c. 40. frigidiſſima quæcunq; aquatica: lentissima autem, & ideo scuti faciendū aptissima, quorum plaga contrahit se protinus, cluditq; suum vulnus, & ob id contumaciū transmittit ferrum: in quo sunt genere, ficus, salix, tiliæ, betulla, sambucus, populus vtræq; Leuissima ex his ficus & salix, ideoq; vtilissima. Ex quibus etiam discimus illa scuta hodie penitus esse inutilia.

Quomodo fortius eductus aut pluribus tabellis.

Ligna scuti apta.

Forma scuti duplex, quod planum fere, & quod imbricatum, quale nobis Lipsius exhibet.

§. 12. Præter tabellas interdum nihil additum; Germani apud Tacit. 2. ann. Nec scuta quidem ferro, nervoque firmata, sed viminum textus, vel tenues, & colore fucatas tabulas esse. Verum Romani corio firmabant, & obducebant; tum ad firmitatem, tum quia corio defenderetur humor, quo contracto tabulæ salignæ soluerentur, gluten enim humoris impatiens est.

Crebro etiam tergora multiplicabant, leuia enim sunt & lenta. Hinc textu septemplex scuta firmabant prisca, etiam apud Traianos & Græcos. Hæc autem tum erant arma, ob precium æris & ferri, quod vulgus militum comparare illis in locis non potuit. Sane in sacris litteris apud vetustissimos clypeos, & scuta area legimus.

Ferro munitum scutum.

Præter hæc erat ferreum munimentum, Polybius

σάλαμα vocat, quod Suidas interpretatur σάλαμα περὶ τοῦ αἰθέριαν ὁ ῥωμαῖνός θυρεός. Ferreum limbum, seu ambitum Romani clypei. Ferreum ferro additum, Camillus enim auctor; qui tamen aream laminam addidit. Plutarch. in Cam. τοῖς θυρεοῖς κύκλον ἀπὸ ἡμέρας ἀπὸ τοῦ αἰθέριαν ὁ ῥωμαῖνός θυρεός. Scutis laminam ferream adaptavit in orbem, ligno solo ictus parum sustinente. Contra Gallorum magnos gladios, forti robore vibratos, solers Imperator adinuenit. Ambitus ille interdum argenteus, & auratus aliquando fuit. Sidonius Clypeorum lucem in orbibus niveam, in vmbonibus fuluam, ait. Hoc in magnis & potentibus.

Vmbo.

Vmbo est in medio clypeo protuberans ferrū rotundum, græcis αἰχμήν, quod prominentias montium, aliarumque rerum significat, in vestibus etiam vmbonem agnoscit Tertullianus. ὁ μὲν αἰχμήν αἰχμῶν græci interdum appellant. Polybius vocat σιδήρεον κίχρον, aitque auertere ὁλοσχορεῖς πλῆρες vehementes ictus lapidum, sarissarum, & vniuersi violenti cuiusque teli.

Vmbone hostes etiam protudebant, Acilius vmbone obuios agit. Optime notauit & Lipsius alam, ipsumque brachium interdum vmbonem vocari. Rotabant autem, atque ita quatiebant scutum, vt ad omnes ictus vmbonem opponerent.

Infirmis scutorum.

§. 13. Parum erat in scuto leui, plus in maiore momenti. Nunc omnia illa impedimenta potius in bello essent, quam adiuuarent. Sed veterum vsum videamus. Primo Gallorum scuta Romani contemnunt, non ferro, neruoue firmata, sed viminum textus, vel tenues, vel colore fucatas tabulas esse. Itaque ante ferrum additum à Camillo, Romana quoque scuta infirma erant.

Deinde vmbone grauioribus ictibus obsistebat, reliquum ergo scutum his impar erat, & crebris ictibus fatisciebat, ita & Ajax de suo dicit, *Nouus est successor habendus.*

Tertio pilis & sagittis ita interdum onerabatur, vt graue esset ferenti.

Quarto eius agitatio vehementer militem fatigabat. ita vt non minus sinistra, quam dextra lassaretur.

Quinto ipsis in præliis videmus crebro traiecta scuta, etiam cum ipso viro, vt multæ historiæ ostendunt.

Scuta nostris militibus impedi-
mentum sunt.

Quod si ergo ad bella nostratia veniamus impedimenta fuerint non munimenta. Nam vt de bombardis taceam, ne mediocris quidem vilius ictum sustinebunt; cum pilo iacto perforarentur, & sagitta; ne minoribus quidem resistere possunt armorum viribus; contra scuta enim maiores nostri ante bombardas inuentas, vsi sunt triplici potissimum armorum genere. Equitum lanceis, quibus scuta hominemque auferebant. Grandibus gladiis, quos vtraque manu vibrabant, quibus scuta obiecta findebant, & è manibus gestantis excutiebant. Denique bipennibus quarum violentissimi ictus scuta omnia inutilia fecerunt. Origo huius armaturæ à Germanis, Gothis, Longobardis, quorum vires magnæ scuta facile excutiebant. Scuta igitur nunc inutilia sunt. olim frequenter etiam mutata sunt. Ante Romulum Argolicis Clypeis vsi sunt auctore Plutarcho. Romulus scuta instituit, credo quod in pastoritio populo haud facile Clypei haberi poterant; hinc Seruius postea Clypeos reposuit, sed censum maiorem habentibus eos imperauit. Ad Veios Clypeis omnis scuta retenta sunt, quæ causâ sit, non satis conijcio; an forte cum stipendia æqualia essent, pediti etiam arma æquanda duxerunt? ita Lipsius sentit.

Ante bombardas scuta inutilia.

Dugæ Græcorum scutum erat, à similitudine πύγης ita vocatum, quod longitudo eius maior latitudine. Athen. 4. & 6.

§. 14. Clypei Græcorum erant; αἰχμῶν vocabantur. ἰνικήν ut vocat Homerus, quod rotundi essent.

§. 15. Lorica præcis varia, & mirum tantæ curæ fuisse, cum bombardæ non essent. Titus apud Hege-
sippum describit l. 3. c. 14. Progredimur in bellum muniti vndique, tegitur galea caput, lorica pectus, totum clypeo corpus. Vbi feriat hostis Romanum militem, reperire non potest. Nec auxesis est. Claud. l. 2. in Rufin.

Lorica filii
munimen-
tum.

Coniuncta per artem

Flexilis inductis animatur lamina membris,

Horribilis visu: credas simulachra moueri

Ferrea, cognatoq; viros spirare metallo.

Nec poeta sed historicus quoque Ammianus eodem modo loquitur. Praxitelis manu polita crederes simulachra, non viros, quos laminarum circuli tenues apti corporibus, flexibus ambiebant, per omnia membra deducti, vt quocumque artus necessitas commouisset, vestitus congrueret, iuncturâ coherenter aptata.

Verum de Loricarum genere dicamus.

Plerique milites Romani priore æuo totum corpus lorica non texerunt, sed lamina pectus tantummodo. οἱ μὲν γὰρ πολλοὶ περὶ τὸν πῆκος καὶ τὸν στήθος αἰχμῶν αἰχμῶν αἰχμῶν, ὁ περὶ τὸν πῆκος αἰχμῶν αἰχμῶν αἰχμῶν, καλῶς δὲ καρδιόφυλακα, τελέαν ἔχοντι τὴν καρδιόφυλακα. Plerique capientes aream laminam, quæ sit spirhamæ, seu duodecim digitorum vndique, eam pectori apponunt; & vocant καρδιόφυλακα, Lascaris cordituum, Lipsius pectorale vocat. Aream laminam dicit Polybius, Varro de crudo corio pectoralia facta ait. itemque alij. Sed credo desisse pelleas loricas, quod parum tutarentur, & vehementer calefacerent pugnares.

Lamina
pectoralis.

Qui honestiores erant, fortioresque, lorica pectus, ventrem, & alia dorsum tegebant, vt testatur Pausanias l. 1. Vtramque lorica ad latera fibulis connectebant, atque hæc vocabatur iusta ac plena armatura. Erant illi à prima classe, supra decem mille drachmas censi, vt ait Polybius.

Lorica illæ triplices, vel enim ex integra lamina erant, quales hodie pleræque sunt, vel hamata, & catenulis contextæ, Græci δάρεκας ἀλίδωτος appellabant.

Lorica tri-
plex.

Loricam confertam hamis, auroq; trilecem Virgilius appellat. Tertium genus erat squamarum, περὶ δὲ τῶν πορρωτέρων.

Rutilum thoraca indutus ænīs

Horrebat squamis.

Squamæ interdum catenulis contextæ erant, interdum linteæ, aliquando corio superductæ.

Apud Suidam Parthorum equites, quos postea imitati sunt Latini & Clibanarios vocant, sic armantur. Lorica Parthi equitis est talis. Prior eius pars pectus & femora & manus extremas & crura tegit: posterior, tergum & ceruicem & caput totum. Fibulæ vero sunt ad latera, quibus vtramque partem iungunt, atque ita totum equitem ferreum dant videri. Prohibet vero nihil aut impedit ferrum membrorum extensiones siue contractiones: adeo curiose factum scutumque est ad naturam membrorum. Armant autem & equum similiter ferro, totum quidem & vsq; ad angulas hoc ideo, quia nihil illis arma propria, si equus interficiatur.

Clibanarij
Parthorum

Robur hoc erat olim, & nunc est militiæ. Ammianus ferreas laminas vocat in modum tenuis plumæ. & Virgilius.

Spumantemq; agitabat equum, quem pellit ænīs

In plumam squamis auro conferta tegebat.

Armaturam clarius describit Ammian. lib. 16. Incedebant, inquit, hinc inde ordo geminæ armorum, clypeatus atque cristatus, corusco lumine radians, nitidæ lorice indutus: sparsique cataphracti equites (quos Clibanarios dicitant Persæ) thoracum muniti tegminibus, & limbus ferreis cincti, vt

Præcure-

Praxitelis manu polita cridit simulacra, non viros: quos laminarum circuli tenues a vi corporis flexibus ambiebant, per omnia membra deducti, ut quocumque artus necessitas commouisset, vestitus congrueret, iunctura coherenter aptata.

Quomodo illis obfisteretur docet l. 25. Humanorumque vultuum simulacra ita capitibus diligenter aptata, ut imbractatis corporibus solidis, ibi tantum incidentia tela possint harere, quæ per cauernas minutas, & orbibus oculorum adfixas, parcius visitur, vel supremitatis narium angustis spiritus emittuntur.

Magnatum squamæ fuerunt; nam habiles erant ferendo, & hoc ipso quod aliquantum cederent, ictibus obfistebant. Hoc admirabilius quod squamas ex vngulis equorum, & aliorum animalium faciebant: describit Paulian. l. i. Thoraces vero ita faciunt. Multos equos quisque nutrit, his ad bellum non modo vtuntur, sed & dyspatris suis immolant, colligentes vero vngulas, eas purgantes & effecantes conficiunt ex eis quiddam draconum squamis simile, aut si quis draconem non viderit, vidit autem nucis pineæ fructum viridem, is è nucis segmentis aut torulis si opus assimilarit, haud errarit. Has igitur squamulas perforantes, & neruis equinis aut bubulis consuentes, loricas ad vsum habent, neque decore Græcæ inferioris, neque infirmiores. Nam & cominus percussa, & iactu petita, resistunt & sustinent.

Lincos thoraces vetustissimi vltus fuisse Homerus ostendit apud quem Atax est λινκοειδής, & inter prima arma fuisse crediderim.

Hoc tempore interdum vtuntur, sed parum ferro, aut globis resiliunt, venantibus erant apti, dentes enim retundunt, aut frangunt. Lorice hamata pene desierunt, cum enim glande annuli rumpuntur, plura vulnera faciunt, inhaerentque corporibus frusta, nec deduci facile possunt.

Lancos etiam subcoactos, seu coactiles thoraces habebant, acetum addiderunt, ut ferro resisterent, spongia etiam pectori tegumentum erat. Sed ne pluuia grauarentur, pellibus inducebantur. Valde autem talia nunc quoque probantur, nam si lorica mediocri defendantur, quæ vis glandis frangitur, hisce tomentis retinetur.

Interim hoc fere tempore in vfu sunt ferreæ, fortes, graues, qualis illa apud Plutarchum in Demetrio, quæ telum balistarum repulit, nec nisi leuem sticturam accepit, quasi a stylo strictorio. Sed hæc valde rara fuerunt: Nam communem armaturam etiam gladij vincebant. Diod. ait ἡ πρὸς τοὺς ἄλλους, ἢ πρὸς τοὺς ἄλλους, ἢ πρὸς τοὺς ἄλλους. Neque scutum, neque galea, neque os sustinet ictum: nempe gladij Hispaniensis. Et Plutarchus in Persæ, Gladios Romanorum grauitate & ictu per omnia arma ad corpora perualisse tradit. Jam vero nemo arma tollere dignaretur, quæ ne gladio quidem resisterent.

§. 16. Vegetius ferreas ocreas pedibus tribuit, vnam in dextro crure, quod in pugna stataria antececidit; at qui iaculis pugnabant, in sinistro: Veteres tamen crurum utrumque tecti fuere.

§. 17. Equites initio loricas non habuerunt, ut refert Polybius, id enim agebant ut facile equum confunderent, cum stratores, seu ἀνταρτοὶ non haberent. Id enim seuerè exactum. Vegetius lib. i. cap. 18. Non tantum autem a tyrionibus, sed etiam a stipendiariis militibus saluto equorum districtè est semper exacta. Quem vsum vsque ad hanc ætatem, licet iam cum dissimulatione, peruenisse manifestum est. Equi lignei hyeme sub tecto, æstate ponebantur in campo: super hos iuniores primo inermes, dum consuetudine proficerent, demum armati cogebantur ascendere. Tantaque cura erat, ut non solum a dextris, sed etiam a sinistris (partibus) & insilire & desilire conficerent, euaginato etiam gladios, vel contos tenentes. Hoc enim assidua meditatione faciebant, scilicet, ut in tumultu praelij sine mora ascenderent, qui tam studiosè exercebantur in pace.

Scuta equitum ex mero corio, quod non satis duratum pluuia redderetur inutile. Cetram appellabant, scutum loreum sine ligno. Credo & ex alia materia, & interdum ex corio durato, cui aqua haud noceat. Sine dubio ridiculum foret, in nostram militiam eo munimento procedere.

§. 18. Pro coronide adiungam quæ Vegetius l. i. c. 20. de armis habet. Locus exigit ut quo armorum genere, vel instruendi vel muniendi sint tyrones, referre tentemus.

Sed in hac parte antiqua consuetudo penitus deleta est: nam licet exemplo Gothorum & Alanorum, Hunnorumque equitum arma profecerint, pedites (tamen) constat esse nudatos. Ab vrbe enim condita vsque ad tempus Vni Gratiani & cataphractis & galeis manebatur pedestris exercitus. Sed cum campestris exercitatio interueniente negligentia, desidiaque cessaret, grauius videri arma ceperunt, quæ raro vtique milites induebant. Itaque ab Imperatore postulant, primo cataphractas, deinde cassides deponere: sic detectis pectoribus & capitibus congressi contra Gothos milites nostri multitudinem sagittariorum saepe deleti sunt. nec post tot clades, quæ vsque ad tantarum urbium excidia peruenierunt, cuiquam cura fuit vel cataphractas vel galeas pedestribus reddere. Ita fit, ut non de pugna, sed de fuga cogitent, qui in acie nudi exponebantur ad vulnera. Quid enim pedes sagittarius sine cataphracta, sine galea, qui cum arcu scutum tenere non potest, faciat? Quid ipsi Draconarii atque signiferi, qui sinistra manu hastas gubernant, in praelio facient, quorum & capita esse nuda constat & pectora? sed grauis pedis lorica videtur, & galea fortasse, raro mediantibus arma, raro tractanti.

Ceterum quotidianus vsum non laborat, etiam si onerosa gestauerit. Sed illi qui laborem in portandis veteribus monumentis armorum ferre non possunt, detectis corporibus & vulnera sustinere coguntur & mortes: & quod est grauius (& turpius) aut capi, aut certe fuga Republicam prodere. Sic dum exercituum laboremque declinant, cum maximo dedecore trucidantur, ut pecudes. Vnde enim apud antiquos Murus dicebatur pedestris exercitus: nisi quod pilata legiones præter scuta etiam cataphractis galeisque fulgebant vsque eo ut sagittarii sinistra brachij manibus muniuntur. Pedites autem sicut præter cataphractas & galeas, etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogerentur accipere. Sic erant muniti illi, qui in prima acie pugnantes principes, in secunda hastati, in tertia triarii vocabantur. Sed triarii genibus positos solebant intra scuta subdere, ne stantes vulnerarentur venientibus telis: & cum necessitas postulasset, tanquam requieti vehementius hostes inuaderent, à quibus constat saepe factam esse victoriam, cum hastati illi, & qui priores steterant, interissent. Erant autem apud veteres inter pedites qui dicebantur, leuis armatura, funditores & ferentarii: qui præcipue in cornibus locabantur, & à quibus pugnandi sumebatur exordium: sed hi & velocissimi & exercitissimi legebantur. Nec erant admodum multi qui cedentes, si praelij necessitas compulisset, inter principia legionum recipi solebant, ita acies immota consisteret. Vtque ad presentem propè ætatem consuetudo permansit, ut omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant, ex pellibus vterentur: quod propterea seruabatur, ne grauis galea videretur in praelio homini, qui gestabat aliquid semper in capite. Mislilia autem quibus vtebatur pedestris exercitus, pila vocabantur, ferro subtili trigono prefixa, vnciarum nouem suæ pedali, quæ in scuto fixa non possent abscondi, & lorici sciēter & fortiter directæ facile per-rumpunt. cuius generis apud nos iam rara sunt tela. Barbari autem sicutati pedites, his præcipue vtuntur, quas Bebras vocant, ac binas etiam & ternas in praelijs portant. Sciendum præterea, cum misilibus agitur, singulos pedes in ante milites habere debere: ita enim vibrandis spiculis vehementior ictus est. Sed cum ad pilam, ut vocant, venitur, & manu ad manum gladiis pugatur, tunc dextros pilei in ante milites habere debent: ut & latera eorum subducantur ab hostibus, ne possint

Exercitatio cessans exercitum perdidit.

Nudi caput & pectus delecti milites.

Pilei pannonici militum.

Pilei, ensibusque obfistebant.

Lincos thoraces adhuc in vfu.

Tomenta ad lorica vtilia sunt.

Ocreæ.

Lorice equitum.

possint vulnus accipere, & proximior dextra sit, quæ plagam possit inferre. Instruendos igitur ac protegendos omni arte pugnandi quocunque genere armorum constat esse tyrones. Necesse est enim ut dimicandi sumat audaciam, qui munito capite vel pectore non timet vulnus.

Exercitus
Romanus
corruptus.

§. 19. Neglectus eo tempore exercitus Romanus est. Nam Valens Gothos admisit & eorum præsidio fatus, militem suum desepxit, nec omnino absq; causa, ut qui Imperatorum suorum nece clariores, quam victoria contra hostem solerent euadere. Gratianus autem Alanis errore eodem confidebat, suorum passus insidias. Cataphractas vocat Vegetius pectoris munimentum, & lorica, omniaque quæ corpus ætate & sepiunt ac muniunt, nudati hoc modo Gothorum impetu turbatur. indicat Paul. Diac. l. 12. & Orosius. Ad primum Gothorum impetum, perturbata sunt Romanorum equitum turma, nudatoque pedes deferuere, qui mox equitatu hostium septi, ac sagittarum nubibus obruti. Postea Thoracomacho se munierunt, de quo Steenvechius ex noticia imperij. Inter omnia, quæ aduersum bellicum prouida posteritatis cogitauit antiquitas, Thoracomachum quoque mirâ vilitate ad leuamen corporis, armorum ponderi & asperitati subiecit. hoc enim vestimenti genus, quod decoactili ad mensuram & tutelam humani pectoris conficitur, de mollibus lanis timoris sollicitudo, solertia magistra, composuit: ut hoc in ducto primum, lorica vel cliueus, aut his similia fragilitatem corporis, ponderis asperitate non laderent; membra quoque vestientis, inter armorum hyemisque discrimen tali solatio adiuta labori sufficiant. Sanè ne idem Thoracomachus pluuio verberatus ingrauescente pondere adficiat vestientem, de Libycis bene confectis pellibus ad instar eiusdem Thoracomachi faciem conueniet superinducere. Hoc igitur ut diximus, Thoracomacho induto, cui græca appellatio, ex tuitione corporis nomen adsumpsit, focietiam, hoc est, calcemētis, & ferratis oreis indutis, superposita galea & scuto vel gladio lateri aptato, arreptis lanceis in plenum, pedestrem futururus pugnam, miles armabitur.

Thoraco-
machi.

Verum hoc etiam mutatum, nec diu in vsu fuit. nā contra vim hastarū, maximè quibus tenue ferrum nihil potuit, deinde in pellium paratura sumptus, & opera magna adhibenda fuit. Grauiissimum vero, quod textu laneo inuoluti sudore deflueret, & in acie debilitarent gestantem.

Arma for-
tia & leuia
haberi vix
possunt.

Hinc apparet omnia in eo posita, ut leuia essent, ut impenetrabilia tegumenta, quæ duo si quis Imperator iungere posset, ne ille facile orbis terræ imperium obtineat.

Hinc tot mutationes armorum, & in hodiernum vsque diem. Primum ferrea, seu ærea tegmina, deinde lignea & coriacea, iterum ferrea, atque ærea, aliquando leuia, quandoq; grauiora. Dio ait Macrinum Iquammatos thoraces abstulisse, & scuta quæ canalium, sed imbricum instar erant, quo ad pugnam faceret expeditiores, sed ut habiliores, ita quoque infirmiores, & magis obnoxios fecit.

CAPVT XVI.

Arma, quibus hostem ledimus cominus.

§. 1. **A** RMA quibus hostem offendimus multiplicia sunt. Neque enim res vlla est, quā non in hominum perniciem homines vti possint, & aliquando vsi sint. Non gladijs modo, & telis homines confectos, sed puluini quoque & ros suffocatos legimus. tuba etiam, tympano quoque pugnamus, & sono hostem fugamus: Quin pars hostium de suo corpore præbet arma. 2. Reg. 2. 6. Apprehenso vnusquisque capite comparis sui gladium desuper in latus contrariū. Capilli itaque arma erant, vti & gladius. adeo ut minus ridicu-

lum Thesei institutum videatur, qui capillum radi voluit, ne aniam hostibus præberet; quod Alexander Magnus in barbâ iussit imitari suos. Thascorum, & Carthaginensium feminae, capillos pro machinis necendis, & nauium funibus dederunt. Polyæn. l. 8. Aquileienses in neruos arcuum impenderunt; Fulg. l. 7. c. 6.

Arma itaq; quibus hostem ferimus, opprimimusque, sunt quibus cominus, vel quibus eminus pugnamus. Illa quibus cominus res geritur, non ita mutata sunt; alia valde diuersa sunt.

§. 2. Arma quibus hostis læditur cominus multiplicia sunt. Enses pleræque gentium habuerunt. Primum singularem, deinde duos gestarunt, præter enses oblongum paramerium, vel parazonium, siue pugionem, aliquando ad dextrum, quandoque ad sinistram latus: dextrum meminit Polybius, sinistrum Iosephus lib. 3. de bello Iudaico. Romani post bellum Punicum secundum Hispanienses gladios gesserunt. Punctum eo potius, quam casum vtuntur. Nam casum pugnantem derisere Romani, raro enim plaga mortifera est, & latus nudat. Interdum tamen & casum; Seneca de benef. Galeam macharā hispanica diuisam ait. Iulius l. 31. Postquam gladio Hispaniensi, detruncata corpora, brachijs abscissis, aut tota ceruice defecta, & sceditatem aliam vulnerum viderunt. Nunc diuersa genera gladiorum ad vtramque pugnam habentur.

Ensis longus
& pugio.

Equiti gladius longus datus. Ioseph. l. 3. de bello. Equitibus gladius est ad dextram oblongus, & contusus item longus in manu. scutum ad latus equi transfertur, & in pharetrā portantur tria, aut plura iacula, culpe lata, & hastis magnitudine non cedentia. Galeas & loricas omnes habent, vti pedites.

Gladius longus
equitum.

§. 3. Hasta alia grandis est, qua cominus pugnatur, alia vero iaculatoria; Strabo lib. 10. *Διπλήρης ἡ τῶν δορυτοῦν χειρὶς, ἡ μὲν ἐκ χειρὸς, ἡ δὲ αἰς πελτοῖς. καὶ ἡ περὶ καὶ ὁ κόντος ἀμφοτέρωθεν τῆς χειρὸς ἀποδιδοῦσι. καὶ γὰρ οὐκ ἀπὸν χειρὸς, καὶ κόντος ἐκλενται. ὡς περὶ καὶ ἡ οὐκ ἴσσοι δανταὶ, καὶ ὁ ὄπισθις.*

Nostri his solis hodie vtuntur cominus, iacula cætera vnæ bombardæ abstulerunt.

Secures fuere longiores, quibus nostræ bipennes seu Hallabardæ successerunt, huc referunt salibam, vel Tricium siue Martiobarbulum, quibus scuta perfingebant, Vegetius lib. 1. cap. 17. In Illyrico dudum due legiones fuerunt, quæ sena milia militum habuerunt: quæ, quod his telis scienter vtebantur & fortiter, Martiobarbuli vocabantur. Per hos longo tempore strenuissime constat omnia bella confecta: vsque eo, ut Diocletianus & Maximianus, cum ad imperium peruenissent, pro merito virtutis hos Martiobarbulos, Iouianos, atque Herculanos censuerint appellandos, eosque cunctis legionibus prætulisse doceantur. Quin autem Martiobarbulos insertos scutis portare consueverunt: quos si opportunè milites iaciunt, propè sagittariorum scutati mutuari videntur officium. Nam hostes, equosque, consanciant, priusquam non modo ad manum, sed ad ictum missilium potuerit perueniri.

Secures.

Martiobar-
buli.

Apud Leonem tamen Martiobarbuli sunt iacula. Turnebus à piscibus barbulis dictos putat.

§. 4. Acides teretes erant, & cum in hostem iactæ essent, funiculo reuocabantur; Careiam vel Caiam etiam dictam putant.

Ropalæ, ca-
sus.

§. 5. Malleos etiam ferre consueuerunt maxime equites, quorum loco, nunc latos gladios gerunt. Huc pertinent, & ἑστῆλα, castusque.

Laqueis etiam vsi sunt, quemadmodum reti, seu reticulari laqueo retianj. Tyrij Macedones cum tures ad oppugnationem promouerent, retibus illaqueabant, sternerantq; Diod. l. 17. de Finis, idem ait Olaus Magnus.